

Disputatio
De authoritate Cathedræ
Romænæ.

AVTHORE ET PRÆSIDE

IACOBO HEER=

BRANDO, DOCTORE ET

PROFESSORE S. S. THEOLO-

giæ in inclitya Tubingensi Academia,

Præceptore suo observando,

M. IOANNES GEORG: SIGVVART

VVINNEDENSIS, AD SEQVENTIA THE-

mata Septembr. 14. loco & hora so-

litis, exercitiij causa respons
debit.



TUBINGÆ,
Apud Georgium Gruppenbachium.
Anno 1582.

DISPUTATIO DE AVTHORITATE CA- thedræ Romanæ.



*Maximam semper Romanæ sedis fuisse authorita-
tem, & esse debere, ceu, quæ in fide errare nescia:
huiusq; Petrum caput, fundamentum à Christo con-
stitutum fuisse, eiusq; successores etiamnum, constan-
ter, & ad aras vsq; Zangerus Præpositus Rothenburgensis, con-
tendit & asseuerat.*

In Collatione
Catholica. fol.
104.

2. *Idq; Scripturæ sacræ, Patrum, & Conciliorum testimonijs,
similiter & perpetuo Ecclesiæ vsu, atq; experientia, probare cona-
tur.*

3. *Quæ qualia sint, ordinè examinabimus, ut quantum his,
Cathedræq; Romanæ, sit tribuendum, omnes veritatis amantes
intelligant.*

4. *Hoc autem Aduersarij est argumentum: Petrus à Chri-
sto est constitutus caput, & Pastor vniuersalis Ecclesiæ. Ergo &
Pontifices Romani successores eius in loco isto.*

5. *Nos verum negamus, & antecedens, & consequentiam.*

6. *Petrum autem caput, fundamentum, & vniuersalem à Chri-
sto Ecclesiæ constitutum Pastorem, his Scripturæ testimonijs pro-
bare intendit: Quia Christus illi dixerit: Pasce oves meas. Item:
Super hanc petram, edificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo cla-
ues regni cælorum.*

7. *Nihil autem detractum de veris Apostoli Petri laudibus
volumus: Christum is præ reliquis discipulis dilexit, locutus
est, & respondit pro illis à Christo etiam præcipuis rebus præcla-
rè gestis, cū paucis alijs adhibitis, suoq; loco officium fecit non vo-*

ce tantum dum in viuis esset, sed etiam omnium temporum Ecclesiam Scriptis suis erudiens. Denique morte sua doctrinam celestem confirmavit, eamque Deum glorificavit.

8. Quod vero pascere iubetur oves & agnos Christi: non his verbis, Vniuersalis seu Oecumenicus constitutus est Episcopus totius Ecclesiae, qui solus omnes Episcopos & Pastores, per totum terrarum orbem habet & potestatem, eligendi, ordinandi, confirmandi, introducendi, deponendi: nec soli & uni Petro omnium Christi omnium, cura demandatur, neque Princeps ipse Apostolorum, hoc ipso constituitur. Nam & reliqui, pascere verbo Dei oves Christi, iubentur, cum ex aequo omnes, uno & eodem mandato ablegantur: Ite in orbem vniuersum, & predicate Euangelion omni creaturae, Baptizantes eos &c.

9. Non igitur Christus reliquos ab hoc pascendi munere exclusit: Imò hoc ipsum Petrus ipsemet omnibus Ecclesiae ministris commune vult esse: Pascite, inquit, gregem Dei, qui in vobis est. Neque se illis superiorem constitutum affirmat: sed Synpresbyterum, hoc est, Conseniorem se appellat. Neque quinquam vult dominari gregi, aut Clericis, sed pascere gregem Domini.

10. Et ubi, quando, quomodo, Petrus omnes Christi oves pascit: vel omnes rexit Ecclesias pastor vniuersalis? vel alios omnes passim ordinauit Episcopos? Paulus certe nil ab ipso accepit: Nec Petrus illi potestatem vel predicandi Euangelion vel vocandi & ordinandi Titum & Timotheum concessit. Cum Paulus aequè à Christo, qui ei apparuit, immediatè sit vocatus, ac Petrus. Nec ipse hunc accessit, sed rectè in Arabiam profectus est, & predicauit Euangelion. Deinde post tres decem annos venit Hierosolymam, videre Petrum, Gal. 1. Et plus, non solum Petro, sed omnibus alijs Apostolis laborauit. In hunc denique modum inter Paulum & Petrum conuenit, ut ille inter gentes, hic vero inter Iudeos precipue predicaret Euangelium.

Neque

11. Neque istis verbis: Pasce oves meas: principem eum Apostolorum constituit Christus, eiusque alios subiecit Apostolos imperio: sed ter repetito mandato, eum in officio confirmat Apostolatus. Cum enim ter Christum turpis me negasset, restituitur, pasceret ut antea gregem, Metuebatur enim ille, ne hoc se indignum fecisset. Ideoque plenius indigebat consolatione.

12. Sic quod Christus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram, edificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni caelorum: Et quicquid solueris, & ligaueris &c. Nequaquam, ut stultè infert Zangerus, Petrus fundamentum Ecclesiae à Christo constituitur, super quem haec sit aedificata. Nimis enim hoc tanta sustinenda mole infirmum, moxque collapsa illa fuisset, cum Christus statim post illi dixerit: Abi post me Satan: Non enim sapiens, quae Dei sunt. Et ubi mansisset Ecclesia, Petro Christum ter negante, seque deuouente? Item, cum non recto pede ad veritatem Euangelij incederet? Falsissimum ergo est, quod Zangerus dicit: Petrus firmus stabat in fide, ne fabrica super ipsum fundata, rueret.

13. Fundamentum, inquit Apostolus, aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Hic, petra est, lapis fundamentalis, & angularis, super quem Ecclesia est aedificata, interpretibus Isaia Propheta, & Apostolis Petro & Paulo.

14. In quam sententiam & D. Augustinus hunc interpretatur locum: Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves regni caelorum &c. Vniuersam significabat Ecclesiam, quae in hoc seculo diuersis tentationibus, velut imbris, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est supra PETRAM, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super

A 3

hanc

Galat. 2.

1. Cor. 3.

Isai. 28.

1. Pet. 2.

August. Expositi
Euangelij Ioan.
Tract. 124. Et de
verbis Domini,
Scrm. 13.

hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quia dixerat Petrus: Tu es Christus filij Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Hactenus Augustinus.

15. Quod verò Christus dicit: Et tibi dabo claves regni celorum: non soli Petro datas esse claves, certum est ex eiusdem Domini verbis, cum eas promiserit omnibus & singulis Apostolis: *Matth. 18.* Amē dico vobis: Quaecumq; **ALLIG AVERITIS** super terram, erunt ligata & in cælo. Et quaecumq; **SOLVERITIS** super terram, erunt soluta & in cælo. Sicut & omnibus eas, & singulis exhibuit, dicens: Accipite Spiritum sanctum, Quorum **REMISERITIS** peccata, remittuntur eis. Et quorum **RETINVERITIS**, retenta sunt. Quia verò Petrus communem personā omnium tenuit, tū & os omnium fuerat: Ideo etiam in Petri persona, omnib. eas tū promisit, sicut etiam omnib. exhibuit. Quod igitur addit Zangerus: Huic cōmendata sunt claves, non vnius cœli, sed **COELO RVM**: acumen hoc ingenij quis nō miretur? Hui quā perspicax est in scriptura, Lynceos habens oculos?

16. Porro, quod Christus peculiariter Petro dixit: Ego pro te oravi, ut non deficiat fides tua, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos: Vbi Zangerus pro sua infinita sapientia & doctrina inexhausta, addit: Non dixit: Ego pro vobis oravi, sed, pro te. Item, non vos aliquando conuersi, sed tu conuersus, confirma fratres tuos: ridiculum est, absurdum, impium, cum officio Apostolico, ipsametq; scriptura sacra, & verbis Christi pugnans. Quid enim audio? Christus, qui pro hostibus suis oravit, & pro omnibus, qui per verbum Apostolorū credituri erant in ipsum: pro reliquis Apostolis non oravit? Et: An hi non debuerunt confirmare fratres suos? Quid igitur nō p̄ ne p̄p̄t̄a fuerunt? Cum Apostolus de omnibus scribat Christianis: Fratres, si praeoccupatus fuerit homo aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, erigite huiusmodi spiritu lenitatis.

17. Cath.

17. Caterum, quod dicit: Ut non deficiat fides tua: hoc voluit dicere: Ideo se pro Petro rogasse, ne aut prorsus à se deficeret, & ex discipulo fieret hostis, sicut multi Apostata: aut propter lapsum gravissimum desperaret, quemadmodum Iudas. De gravissimo itaq; Petri lapsu concionatur Dominus. Quod igitur non ut Iudas perijt Petrus, id Christo, eiusq; precibus acceptum ferat. Postea conuersus, acta pœnitentia, & officio pristino restitutus, suo exemplo, quod in gratiam esset receptus, etsi horribiliter lapsus, confirmet suos fratres. Nulla his verbis prerogativa singularis, multo verò minus dominium Petro conceditur.

18. Adhuc multa ex scriptura Novi Testamenti colliguntur argumenta, quibus probatur à nonnullis, Apostolum Petrum Romanum nunquam fuisse. Quæ iam in medio relinquimus.

Auentinus Viri-
cus Velenus Ming-
honiensis, Caros-
lus Molynæus.

19. Et Christus non semel tantum, sed aliquoties ex professo, hac mora, de primatu, questione, ab Apostolis, quis ipsorum maior esset: diserte & expressè, contendentibus de eo, negavit, dicens: Vos autem non sic, &c.

Luc. 22.

20. Non ergo Petrus à Christo princeps Apostolorum, aut caput Ecclesia constitutus. Hoc enim illis, quæ aduersarij pro confirmando suo errore, ex scriptura S. afferunt, testimonijs, probari, ut dictum est, nequaquam potest.

21. Sed nec ipse hunc usurpavit Primatum unquam, aut à reliquis est agnitus condiscipulis pro capite.

22. Imò, non desunt Authores peruecti, qui D. Iacobo, Hierosolymorum Episcopo, Primatum tribuunt, sicut Clemens Romanus, Iacobo Apostolo scribit: **EPISCOPO EPISCOPO RVM**, regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam, quæ est Hierosolymis, sed & **OMNES ECCLESIAS, QUÆ VBIQUE DEI PROVIDENTIA FVNDATÆ SVNT.** Et **CLEMENS ALEXANDRINVS** citat Clementem Romanum, qui in sexto dispositionū libro asserat: Petrum & Ioannem, & Iacobum, post assumptionem Saluatoris,

Hist. Eccles. lib. 2. cap. 1. ris, quamvis ab ipso fuerint omnibus penè prelati: tamen non sibi vendicasse primatus gloriam. Sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuisse.

Hist. Eccles. lib. 7. cap. 15. 23. Quemadmodum & Ecclesiastica testatur historia, ubi sic habetur: Deniq; & Iacobi Cathedra, qui primus inter Apostolos ab ipso Salvatore, & ab Apostolis in Hierosolymis esse electus, quemq; fratrem Christi volumina diuina signant, in hodiernum inibi conseruatur. Atq; in ea sedent omnes, qui usq; ad presens tempus sedis illius sacerdotium sortiuntur. Seruatur ergo cum ingenti studio, velut à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur, vel vetustate, **VEL PRIMI SACERDOTII** sanctificationis obcentu. Sic ergo & ex sacris literis, & pia antiquitate constat, Petri primatum in Ecclesia nullum, (qualem quidem Pontificij comminiscuntur) inquam fuisse.

24. Quod si maximè Petrus princeps fuisset Apostolorum: quid hoc ad Pontificem Romanum? Personale hoc fuisset priuilegium, quod non esse hereditarium, nec transit ad successores. Non enim eadem est successionis ratio in Ecclesia, quæ in reliquis huius mundi regnis, quæ ad heredes filios transeunt. Sed Christus ad dextram Dei residens, excitat Ecclesia sue doctores, ubicunq; vult, eosq; ornat donis præ alijs, iam hoc, iam illo loco.

25. Longè etiam inferiori loco sunt Episcopi reliqui omnes, Apostolis. Tamest ab adulatoribus, & parasitis Pontificijs, par esse scribatur Pontifex Romanus, potestate & auctoritate, Petro, Paulo verò maior & superior. Quæ nugæ sunt suauis, quibus se palpane isti. Quemadmodum & Zangerus hic falsò asserit: Summum Episcopum Romanum, Petro, & in fidei firmitate, & in componendis religionis controuersijs, iure diuino succedere. Cuius assercionis falsitatem, à Diabolo mendaciorum patre disceri isti poterant, dicente: Iesum noui, & Paulum scio: Vos autem qui estis?

Act. 19.

Præu.

26. Præterea, quoddam, Sanctorum Patrum testimonijs se Petri corroboraturum Primatum; audiamus, quid tanto dignum proferat promissor biatu, Et qui nam isti sint Patres. Producit autem Anacleum, Euaristum, Alexandrum. I. Sixtum. I. Eleutherium, Victorē, & alios Pontifices Romanos, Melitadem inprimis, qui scribit: Iure hereditario futuris temporibus id priuilegium concessisse Dominum clauigero Petro, quod à temporibus Apostolorum sit seruatum. Et sanctam Romanam Ecclesiam semper immaculatam mansisse, Domino providente, & Beato Petro Apostolo opem ferente. Et Iulium, qui affirmat: Nicenam Synodum definiuisse, non debere præter Romani Pontificis sententiam, vlllo modo, aut Concilia celebrari, aut Episcopos damnari.

27. Expectabamus thesaurum, & ecce carbones: Classicos Patres: Illi verò suos crepant Pontifices, domesticos testes, Scripturæ Sacrosanctæ testimonijs corruptis, detortis & deprauatis (de quibus supra) suam prædicantes & stabilientes ipsimet Maiestatem & Primatum: qui in propria causa de se suisq; rebus testimonium ferentes, non audiuntur. Sicut etiam in suis Bullis rugiunt, & ad rauim usq; semper sunt vociferati de suo Primatu, & immensa, nullisq; legibus limitata potestate.

28. Verum non ignoramus, Episcopos Romanos, paulatim ad Primatum aspirasse, huncq; miris artibus, & modis omnibus ad serapere, quo iure, qua ue iniuria, nihil curantes, mendacijs etiam manifestissimis & turpissimis, conatos esse.

29. Quale hoc est inprimis apertum Iulij, qui affirmare non erubescit, Nicenam Synodum definiuisse, non debere vlllo modo præter Romani Pontificis sententiam Concilia celebrari. Vbi enim quaeso, hoc extat in illius Concilij Actis, quo Canone, decretum? Cum meritò eos sui pudere deberet, in hoc argumenti genere versantes, quories huius mentio sit Concilij: Vbi vires Rom:

B

Pontifi-

Iulius Epist. ad Orientales.

Nicen. Cōcil. cap.
6.7.
Hist. Ecclef. Euseb.
lib. 16. cap. 6.

Leo. Epistola 23.
ad Theodof.

Pontificum, si quæ fuissent, sunt fractæ, & accisæ, utpote in quibus in ordinem sunt redacti reliquorum Patriarcharum, & Primatus eminentia Hierosolymitano esse concessa Patriarchæ.

30. Et contrarium eius exeat exemplum. Petijt enim Leo, I. Episcoporum Romanorum facile doctissimus, ab Imperat. Theodosio, ut falsum Ephesium Concilium, annihilaret. Et generalem Synodum iubeat intra Italiam celebrari: Verum Imperator illi non esse gratificatus, Chalcedone indicto Concilio.

31. Sic & quod ad causas Episcoporum attinet, falsissimum est omnes ad Romanos Episcopos pertinere. Hoc quidem verum est propter potentiam, multos, siue iuste, siue iniuste oppressos, ad ipsos confugisse. Deinde omnes alias Episcoporum causas ad se voluisse eos rapere: sed multi, imprimis Africani, valde fortiter resisterunt, nec colla sua iugo seruitutis, seu Tyrannidi potius, voluerunt subicere Romanorum Episcoporum.

32. Sicut & crimen falsi, trium Episcoporum Romanorum, Sozimi, Bonifacii, & Celestini, deprehensum & detectum est à Concilio Carthagenensi, cui & D. Augustinus interfuit: cum illi contenderent, quemadmodum & Iulius: Decreto Niceni Concilij sancitum, omnium Episcoporum causas ad Romanæ sedis cognitionem pertinere. Quorum nihil missis Legatis & inspectis originalibus, in Archiis Ecclesiarum Orientalium, Constantinopolitana, Alexandrina, & Antiochena, Patres Concilij Carthagenensis reperiri docuerunt. Et quod Melitades de puritate doctrinæ in Ecclesia Romana gloriatur, in qua immaculata usque ad sua tempora permanserit, (rexit autem illam circa annum Domini 300.) Quid hoc ad subsequencia, & nostra tempora? Annon de Hierosolyma Isaias Propheta exclamat suo tempore: Quomodo facta est Meretrix, ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, Nunc autem homicide. Hoc idem Romanenses sibi dictum putent.

Nam

Fol. III.

33. Nam quod Zangerus Hieronymum scribere dicit: Se Cathedræ Petri communione sociari, super illam Petram adificatam Ecclesiam scio: Et aliàs dicitur: Cathedræ Petri adherentes, non errare. Recte virumq; dicitur, si recte etiam, ac secundum Scripturam sacram accipiat.

34. Cathedra enim pro doctrina accipitur, per Synecdochen. Sicut Saluator dicit: super Cathedram Moysi sedent Scribæ & Pharisei, quicquid dixerint, facite. Quod certe non de Phariseorum doctrina accipi potest: hanc enim cauere præcipit: Sed de Moysi doctrina, quæ ex Cathedra recitabatur, ut nunc quoq; fieri solet. Quæ fundamentum de Christo tenebat. Et super illam petram, quam Petrus confessus est, quam docuit postea. 1. Per. 2. edificata est Ecclesia.

35. Ita Cathedræ Petri, hoc est, ipsius doctrinæ consociari nos omnino oportet, si salus nostra curæ nobis est. Huic enim adherentes, nunquam errabimus.

36. Quæ porro huius fuerit doctrina, Matth. 16. exeat insignis ipsius de Christo, Saluatore vnico, confessio. Quemadmodum & Act. 4. 10. 15. de ratione iustificationis & salutis, conationes insignes, sicut & in ipsius Epistolis. Quam si Romani Pontifices amplecterentur, dissensio omnis iam inter nos sublata esset. Quæ tamen doctrina, non solius Petri, sed reliquorum etiam fuit Apostolorum. Nam qui à doctrina Evangelica de Christo, quæ omnium est Apostolorum, discedit, si vel Angelus de celo fuerit, anathemate feritur.

37. Sicut Missam quoq; D. Petri, quemadmodum D. Gregorius, & post eum, Platina, in Vita Sixti. I. eam describunt: Quod ad solam Dominicam orationem consecrauerit, recipere parati sumus.

38. Iam quod Zangerus, Principatum Ecclesiæ Rom. Conciliorum auctoritate fulcire conatur, non solum actum agit: sed

B 2

carpiß me

turpissimè se, suorum more maiorum, dat, crimenq; falsi secunde vice committit: dum in hæc verba scribit: *Accedunt Conciliorū clarissima testimonia, quibus Ecclesiæ Romanæ vis & auctoritas comprobatur. Veneramur, confitemur Concilium Chalcedonense, SECUNDVM SCRIPTURAS, & Canonum definitionem, sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, primum esse, & maximum Episcoporum.*

39. Quæ verba primum, non Concilijs sunt, ut refert Zangerus, nisi sententias dicere definitivas in Concilijs, Zangerus Laicis concedere velit (quod hætenus studiosè cauerunt Pontificij, & piaculum esse ducunt, anathemate feriendum) sed Iudicum prouincialium, Officialiū Imp. Martiani, & Senatus politici. Deinde hæc Iudicum secularium, & officialium Imperatoris sunt verba: Ex his, quæ gesta sunt, vel ab unoquoq; deposita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum, secundum Canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiscopo conseruari. Oportere autem sanctissimum Archiepiscopum regiæ Constantinopolis nouæ Romæ, eisdem primatibus honoris, & ipsum dignum esse, & potestatem habere Metropolitanas ordinare in Asiana, & Pontica, & Thracia diocesibus &c. In quibus non habetur, *SECUNDVM SCRIPTURAS.* Sed Zangerus de suo addit, qua fide, ipse viderit.

40. Ad hæc, ex malè & falsò narratis Paschasini Legati, Romani Episcopi vicarij, hæc lata est à Iudicibus istis politicis, sententia, sub, & obrepticione. Cum enim iussus esset Legatus ille à Iudicibus Imperatoris, Canones Concilij Niceni de Primatu Romani Episcopi (de quo certamen illi erat cum Constantinopolitano Archiepiscopo) proponere: recitauit sextum Canonem Concilij Niceni, hisce verbis: Trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, Canon sextus: Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum: Teneat autem & Aegyptus, ut Episcopus Alexan-

dria

dria omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo.

41. Vbi Legatus etiam Episcopi Rom. primum falsi crimen admittit, addens & inferens hæc verba: Quod Ecclesia Romana semper habuerit Primatum. Cum prorsus non extent hæc, aut habeantur in illo Canone Concilij Niceni sexto. Deinde idem Legatus planè Romanistica arte, latius accipit Canonem voluit, quàm eius est sententia: Quasi præ omnibus alijs Metropolitanis, Primatum Romanus Episcopus semper habuisset: cum Canon tantum de ipsius prouincia, videlicet Italia circumiacente loquatur. Et alios Metropolitanos ei nequaquam subijciat, sed planè æquet. Vnde apparet Romanistas tum etiam falsandis sacrosanctis Concilijs, sicut & posteri ac successores eorum, Patrum, adeoq; Scripturæ Sacrosanctæ testimonijs, assuetos fuisse.

42. Quæ sanè verba non habentur in Actis Concilij Niceni, sed planè diuersum. Hæc enim sunt verba Canonis. 6. ut in Tomo Conciliorum. 1. Fol. 253. habetur: Mos antiquus perdurat in Aegypto, vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus eorum omnium habeat potestatem. Quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasq; prouincias, honor suus unicuiq; seruetur Ecclesiæ.

43. Ut videamus, & omnibus notum ac manifestum fiat: Papatum Romanum ex mendacijs confutum & constatum, ex mendacijs ortum esse, sumfisse incrementū, & hætenus iraro Deo, conseruatum. Sicut et, quod hic scribit Zanger, appellatum illum esse Vniuersalem: quod ex eodem errore, & vanissima ambitione, Legati Romani narratione, ortum est. Quam vocem Gregorius Magnus, & ipse Pontifex Romanus agnoscere noluit, sed damnauit postea, scelestum vocabulum appellans, in quod consentire aliud non sit, quàm fidem perdere. Quibus addit: Ego autem fidenter dico, quia quisquis se SACERDOTEM

B 3

TEM

TEM VNIVERSALEM vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum praeconit. Quia superbiendo se ceteris praeponit.

44. Quod autem ab hoc Concilio Leonem Episcopum Romanum magnopere commendatum Zanger ait: ita ut Petrus per Leonem locutus dicatur: Recte sane id factum est. Quia cura Leo Petri doctrinam tum contra haereticos sonuit. Haec eadem faciant etiamnum Episcopi Romani. Doceant cum Petro, & cognoscemus eos pro verè Apostolicis. Cum verò eius damnent dogmata, ipsi è diametro pugnantia proponant, recte eos pronunciamus Apostolicos.

45. Adhuc Zangerus Primatum Romani Pontificis, à perpetuo Ecclesiae usu, qui verborum Christi optimus sit interpres, probare instituit: Quia semper non ad alios Episcopos, sed ad Romanum uni acate recurrerit.

46. Respondeo. Sollicitè quidē hoc egerunt Romani Episcopi, nihilq; intentatum reliquerunt, etiam crimine falsi, quod ante probatum est, admissio, ut ad sedem Romanam prouocatio concederetur transmarinis: sed negatum est illis in Concilio Carthaginensi sexto, quod Anno Domini. 415. à 217 Episcopis est celebratum, Synodali insigni Epistola missa: Iniquum hoc esse, quia à nullo Concilio hoc sit decretum: alias quoq; Ecclesias, Spiritum sanctum habere, ut causas cognoscere & diiudicare possint. Et illic, ubi orta sint, in suis locis, qualibet finienda negotia. Ideoq; Celestini Legatum ferre nolunt: Nec est, rescribunt, ut aliquos à latere mittas Legatos, qui causas ipsorum cognoscant.

47. Et Hieronymus omnes Episcopos, ubicunq; locorum sint, siue Romae, siue Eugubij: siue Constantinopoli, siue Alexandria, siue Tanais: eiusdem muneris, eiusdem & sacerdotij esse affirmat, & addit: Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum facit. Ceterum omnes Apostolorum successores sunt.

Hieron. Epistola
ad Euagrium.

Et

48. Et hoc longè antiquior Cyprianus Martyr: Nisi paucis, inquit, desperatis & perditis, minor videtur auctoritas Episcoporum in Aethiopia constitutorum, quam Romanorum. Et iterum: Hoc erant viiq; & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, **PARI CONSORTIO PRÆDITI ET HONORIS ET POTESTATIS.** Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Idem alibi: Neq; enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum esse constituit, aut Tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. Quilibet enim habet potestatis suae liberum arbitrium. Quod D. Augustinus repetit.

Cypr. lib. 1. Epistola 3.
Idem de simplicitate Prælatorum.

Id. in Concilio
Carthagin.

August. lib. 3. de
Baptismo contra
Donatistas.

49. Sed propter potentiam Romani Pontificis, multi vndiq; ad ipsum confugerunt, auxilium eius implorantes. Sicut & Athanasius cum Episcopis Aegyptiacis scribit Romanis Episcopis, Marco, Iulio, Liberio, & Felici, Ecclesiae vniuersalis Papa. Idē tamen Epistola ad Liberium, quae incipit: Vestrae beatissimae paternitatis iura &c. dicit: **OMNES BEATISSIMI APOSTOLI, PARI HONORIS & POTESTATIS CONSORTIO PRÆDITI.**

50. Tandem verò à Phoca Caesarida, magna, ut Platina refert, contentione, Bonifacius. 3. Episcopus Romanus, obtinuit: Ut sedes D. Petri Apostoli, quae caput esset omnium Ecclesiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus. Quem locum Patriarcha Constantinopolitanus, propterea, quod ibidem Imperij caput esset, vendicare sibi conabatur. Quod si id iure diuino à Christo habuit Malefacius iste, quid opus erat tanta contentione, à Caesarida id petere?

51. Hic Phocas, Christus est, & Petrus ille, à quo Episcopi Romani Primatum istum suum in feudum acceperunt: qui quod non habuit, dare non potuit. Sed quod habuit Petrus, dedit successoribus, inquit Bernhardus: sollicitudinem super Ecclesias. Et iterum: Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I. ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostola

Bernhardus. de
consideratione

*Apostolatium, aut Apostolicus Dominatum: planè ab alteru-
tro prohiberis. Si utrumq. similiter habere voles, perdes utrumq.
Et post aliqua: Forma Apostolica hæc est, dominatio interdi-
citur, indicitur ministratio.*

52. Vnde postea Romani Episcopi hanc suam tyrannidem in
Ecclesiam obtinere volentes, cædibus, bellis, seditionibus, Ger-
maniam, Italiam, & alia regna multis seculis repleuerunt, fa-
ces bellorum, & tubæ seditionum, subditos à iuramentis, quibus
suis Magistratibus & Imperatoribus deuincti erant, soluentes,
eosq. contra ipsos armantes.

53. Et impossibile est, vnum Vniuersalem esse totius orbis,
& Ecclesiæ Christianæ Episcopum, doctrinæ Apostolicæ, (ut
Zanger loquitur) Magistrum, Quæstionumq. de fide iudicem:
Qui scilicet omnia iura in scrinio sui pectoris habeat: Etiam si
Idiota sit & immemor sui nominis. Vnde & Christus omnibus
& singulis parem dedit potestatem, emittens illos, dicens: Ite in
orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, ba-
ptizate eos &c.

54. Præterea, quod ad experientiam attinet, quæ testetur
(secundum Zangerum) Christi de Petro & successoribus vati-
cinita, in Ecclesia Romana impleri. Quia fixa & immobilis in
fide & autoritate Petri permanserit.

55. Hoc quidem verum est, multis iam seculis, hinc à Phoca
eius authore, Romanos Episcopos Primatum, inq. Ecclesia Dei
sedem ac tyrannidem obtinuisse: sed nihilominus longissimè falli-
tur bonus ille vir. Hec enim Regni Pontificij, seu Antichri-
stiani potius, diuturnitas, non magis confirmat, à Christo illud esse
fundatum, quàm Mahometici regni vel tyrannidis firmitas &
robur. Quæ duo vnà cæperunt etiam, longeq. firmitus est hoc, ro-
bustius & potentius, Romani Antichristi regno in Ecclesia.

56. Cæterum quod ad D. Petri fidem attinet, nihil ea minus in
Romana

Romana seruatur Ecclesia, in qua horrendi, crassissimi & palpa-
biles dominantur errores: De iustificatione per bona opera ho-
rumq. meritis, de Dubitatione, è diametro cum fide, & scriptis
Prophetis ac Apostolicis pugnante, de viribus liberi arbitrij,
Pelagiana hæresis: Labyrinthi de pœnitentia, quæ altera illis di-
citur post naufragium tabula, constans contritione, confessione,
& satisfactione operum propriorum, nulla Christi facta mentione,
Mutilatio & Prophanatio Cænæ Dominicæ in nundinationibus
Missarum, & opus sacrificuli, sacrificium verè propitiatorium
pro peccatis viuorum & mortuorum. Diabolica ciborum & nu-
ptiarum prohibitio. Idololatria & plusquam Ethnica mortuo-
rum inuocatio & cultus, adoratio statuarum, peregrinationes ad
reliquias mortuorum. Impostura indulgentiarum Pontificiarum.
Fingentum purgatorij Platonici & Poëtici, Ordines Monastici
propemodum innumeri, Scholastica Theologia Sophistica. Omnem
actum charitatis absolute mereri vitam æternam. Magica con-
secrationes Olei infirmorum, Chrismatis, herbarum, ignis, cineris,
salis, aquæ, cereorum, placentarum, aliarumq. creaturarum, ex
quibus, nescio, quot Diabolorum myriades se exorcizare nuan-
tur, hasq. creaturas in alium plane diuersum ac spiritualem usum,
præter suam naturam, suis exorcismis transferre se mentiuntur.
Hæc & alia horum consimilia, plus quàm sexcenta, non modò lu-
dibria, præstigia & imposturæ sunt, sed etiam impietatum plenissi-
ma, quibus Romanus Papatus, sentina errorum & hæreseon sca-
ret, omnibus nota sunt & manifesta. Quæ omnia & singula non
modò in D. Petri Epistolis & Concionibus non extant, sed cum
tota sacra scriptura è diametro pugnant, & ab Ecclesia Christi
damnantur, nihilominus hos suos errores Romanenses, hodie im-
mani scuitia, vi & tyrannide defendere & retinere conantur.

57. Vnde etsi maxime Papa Romanus iure diuino Primatum
haberet: tamen, quia falsa dogmata & cultus Idololatriæ cum
verbo Dei pugnantes tuetur, non debetur illi obedientia, sed cum

C

regno

regno suo pro anathemate & Antichristo habendus est, ut euidenter Apostolus affirmat. Gal. 1. Et Canonistae ipsi dicunt: Papa, qui est haereticus, non debet obedientiam.

Fol. 115.

58. Denique hac ratione probare conatur auctoritatem, hoc est, Primatum Romanae Ecclesiae Zangerus, quod qui à Romana quidem sede defecerunt, hi Schismatici semper in Ecclesia sunt habiti: qui verò huius sedis de fide iudicia detrectarunt, Haeretici: bella MEHERCLE, Mehercleratio, dignumque patella operculum, hoc est, qualis est materia, talis est conclusio, hoc est, friuolum est & fucile argumentum. Mirandum autem, sacrificulum istum, non etiam addidisse: Exustos quoque, suspensos ab arboribus, submersos, & alijs modis à medio sublatis, huic bestiae quicumque se opposuere. His enim modis argumenta aduersariorum, soluere isti consueuerunt. Quasi verò non semper falsa malignantium Ecclesia, veri Dei Ecclesia fuerit persequutrix? quod ex sacra & Ecclesiastica historia est notissimum.

59. Et nota haec est Antichristi. Vel ex hoc enim, ut cetera taceamus, intelligere omnes oportebat, regnum Pontificum Romanorum, Edomitas & Esauitas sanguinolentos, & crudelissimas bestias, non Dei, sed Diaboli Ecclesiam esse, & Antichristi. De hoc enim Daniel vaticinatus, quod bellum sit cum sanctis gesturus. Quod vastationes politiarum, euerfiones regnorum, bella denique saeuissima à Pontificibus Romanis gesta testantur: Sed non sic Dei propagatur Ecclesia, in qua gladios constet in vomeres. Nulli enim unquam bono in Ecclesia placuit, si usque ad mortem in quemquam licet Haereticum, seuiatur, inquit Augustinus.

Itai: 1.

Anno 865.

60. Hinc est, sicut Auentinus scribit, quod Archiepiscopi, Colonienfis & Treuirensis, & suo, & aliorum Pralatorum nomine, Pontifici Nicolao I. in faciem dixerunt: Tu Pontificis quidem personam praeteferis, ac Tyrannum agitas: sub habitu & cultu Pastoris LV PVM sentimus, libidine dominandi, in preceptis abis. Quicquid tibi libet, licet. Fucus factus es Christianis. Et Bernhardus ad

aus ad Eugenium Papam: Murmur loquor, & querimoniam communem Ecclesiarum: truncari se clamitant, ac dimembrari. Bernhard. lib. 3. de consideratione ad Eugenium.

61. His ita discussis nebulis, refutatisque ex verbo Dei friuolis Pontificiorum argumentis, quibus collapsam sui Idoli sedem erigere & confirmare laborant: Iam etiam quadam ad illa, de hoc argumenti genere addemus.

62. Quod igitur ad scopum causae praesentis attinet: Non est nobis disputatio cum Pontificijs, Num inter Ministros Ecclesiae Dei, ordo & gradus sine seruandis, ut alij alijs ordinis ratione sine superiores. Nam & Deus ipse varijs donis & personis Ecclesiae datis, distincta facit officia & ordines. Et Apostolus, gradus recenset, Episcopos, Praepositos, Presbyteros, Diaconos. Ephes. 4. 1. Tim. 3. Heb. 13.

63. Nec de vocabulis odiose litigamus, quibus, qui praesunt alijs, ordinis ratione sine appellandi. Modò res ipsa non pugnet cum Scriptura sacra.

64. Sed nec de hoc iam disputatio est. Num Pontifici Romano sincere verbum Dei docenti, & Sacramenta, iuxta Christi institutionem administranti, adeoque officium, cum suis recte facienti, obediendum sit in ijs, quae sunt officij propria, & pro Pastore Ecclesiae sit agnoscendus à suis, quibus praest.

65. Verum hic controversia statum est: Num Papa iure diuino à Christo sit constitutus Vniuersalis totius Ecclesiae Episcopus, & caput, qui plenariam habeat iure diuino quidvis precipiendi potestatem: ita ut Christianorum nemo, nisi omnia ipsius decreta agnoscat, amplectatur, ei in omnibus, quaecumque praecipit, vult, dicit, facit, obediat, saluari possit.

66. Hanc enim immensam & infinitam sibi arrogat potestatem: Quod si Papa sua propria, fraternaque salutis immemor, quotidie innumeras animas cateruatim secum abducit in infernum, nemo illi dicat, Quid, aut, cur facis? Quia iudicis ipse alios omnes, à nemine sit iudicandus. Supremam nemini esse potestatem, adeoque absolutam precipiendi, quam habeat ut vult, Ita ut Deus rata habeat,

quacumq; faciat Papa, Esse eum omnia, & super omnia, ita ut possit facere omnia, quæ Deus facit. Omnem enim illi datam esse potestatem in cælo & in terra, quæ se extendat ad cælestia, terrestria, & infernalìa. Unde etiam mandat Angelis Paradisi, ut morientis in via Romam versus, religionis causa, animam à purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant. Imò Papæ potestatem maiorem esse Apostolo, cuius dictis possit derogare, adeoq; ut etiam formam Sacramentorum ab Apostolis traditam, possit immutare. Expirabit ergo Anathema illud Paulinum in Gal. 1. Si quis aliud annunciauerit Euangelium, etiamsi Angelus de cælo, nedum Papa, anathema sit. Et à Papa ne quidē ad Deum appellari possit. Deum. n. Papæ omnes subiecisse leges, cuius celsitudini nulla lex imponi possit. Taceo iam, quod gloriatur Papa, se veriusq; gladij ius à Christo accepisse, adeoq; Imperium ab Ecclesia dependere. Et ita de necessitate salutis credi, ac teneri firmiter oportere. Et vacante Imperio, Papam Imperatori succedere. Iuxta illud scilicet, Vos autem non sic.

67. Hæc non humana sunt, sed planè Diabolica, ex Cerberi tripitis ore infernali profecta, quæ refutatione non indigent. Cum omnes pij ad blasphemias tam auditu horrendas, exhorrescant. Hæc plenitudo illa est potestatis, seu tempestatis potius, quam nō à Deo, sed à Diabolo, cuius est vicarius in terris, accepit.

68. Superius enim ostensum est, non modò Papam hæc non à Christo, sed ne Petrum quidem præcipuam præ reliquis accepisse Apostolis potestatem, nedum principatum in æquales. Qui ne senioribus quidem Ecclesiæ se præferre, nedum collegis Apostolis, sed conseniorē se vocat, Et prohibet, ne dominantur in clericos. Sicut disertè etiam Christus moræ hac quæstione, & orta contentione inter Apostolos de Primatu antequam oriūset, abrogat hunc discipulis, non semel, sed iterum & terciò, huncq; eorum errorem reprehendit. Ideò nequaquam Pontifex Rom. iure diuino reliquis Episcopis superior.

s. Pet. ult.

Matth. 18. 20.

Luc. 22.

Sed

69. Sed humana auctoritate demum à Concilio Niceno potestas illi est concessa in Ecclesias suburbanas, & sic etiam Episcopos vicinos. Quemadmodum parilis mos est (sicut verba Concilij Niceni habent) ut etiam Alexandrinus, Antiochenus, & Constantinopolitanus, in suas prouincias, earumq; Episcopos habeant. Nullo ergo iure, vel diuino, vel humano, in omnes Ecclesias, & super omnes Episcopos & Pastores in toto orbe Christiano, Romanus Episcopus est Monarcha.

70. Hæc verò sibi à Concilio concessa in vicinas suburbicarias Ecclesias, iurisdictione, non contenti ambitiosi isti Romani Episcopi, nec pares ferre volebant: Ideò nihil intentatum reliquerūt, donec tandem Vniuersalis nomen à Phoca, ut dictum est, sortiti sunt, hoc est, anno à Christo sexcentesimo, quo demum hoc Antichristianum, superbum & Diabolicum nomen, ut Gregorius id vocat, receptum fuit, reclamantibus multis, ut historia testatur. Quo tempore etiam Mahometanum capit regnum. Quorum utrumq; Christum blasphemat.

71. Non ergo à Petro Primatus Romani Episcopi, cui Christus nunquam plenariam concessit potestatem, vel etiam principatum, aut Primatum inter Apostolos.

72. Et Clauēs, quas Christus Petro promisit, non immensam illam & plenariam potestatem condendarum legum, dispensandi, relaxandi, dominandi, Imperiaq; Mundi transferendi significant: Sed Ministerium Ecclesiasticum, prædicandi Euangelium de Christo, quo penitentes, & verè in hunc credentes, ab omnibus peccatis absoluuntur, Incrudulū verò retinentur. De peccatis ergo, quæ verè coram Deo peccata sunt, soluendis & ligandis, non de Iurisdictione politica Christus loquitur.

73. Porro clauēs istæ non soli Petro, sed omnibus ex æquo Apostolis à Christo datæ & exhibitæ sunt. Sicut nec etiam Petrus Iohan. 20. solus omnes Christi oues paut, nec Ministros Ecclesiæ inuestiuit.

C 3

(ut

(ut loquuntur) & ordinavit: sed omnes & singuli ex aequo Apostoli, ijs in locis, ad quæ peruenierunt, illis sunt visi.

Iohan. 20.
Matth. vlt

74. Sicut etiam nec Christus aliam dedit Apostolis suis, quam ipse habuit, aut exercuit in terris potestatem, dicens: Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos: Ite in orbem vniuersum, prædicauit Euangelium.

75. Negat etiam suum regnum esse mundanum, Ideoq; Iudicii officio fungi noluit. Et venientibus Iudæis, ut eum raperent, Regemq; constituerent, fugit. Et Apostolis non Politicam, sed tantum Ecclesiasticam tribuit potestatem, prædicandi scilicet Euangelium, remissionem peccatorum annunciandi, & Sacramenta administrandi. Gladium relinquens Magistratui Politico, Reges gentium, inquit, dominantur: Vos autem non sic. Hinc & Apostolus: Arma militia nostra non sunt carnalia. Ideoq; non iure diuino verumq; habet gladium Romanus Episcopus, hoc est, potestatem constituendi regna huius Mundi, eligendi, transferendi, & deponendi Principes, Reges, & Imperatores. Quod tyrannicum est, & Ecclesia atq; Reipublica Christiana exotium.

76. Incolerabile etiam est, in libera Christi Ecclesia, quod Papa huic eripit iudicium, nec vult, ut legitimo modo Ecclesiastica controuersia rite iudicentur: sed superior vult esse Concilijs omnibus, & potestatem sibi arrogat rescindendi & abolendi omnia, quæ in Concilijs decreta sunt. Sicut impudenter in proximo Concilio Tridentino factum est, in quo decreta semper Roma fuerunt allata: Et tamen nihilominus postea circa finem eiusdem, statutum est, ut per Legatos Pontificis Romani, nomine dicti Concilij, peteretur confirmatio omnium & singulorum, quæ in eo decreta & definita fuerant, ut in fine eiusdem habetur. Cum contra, Panormitanus, etiam priuati sententiam præferendam esse doceat Papæ sententiæ in Concilio, si melioribus nitatur rationibus, quam ille.

77. Cum enim Concilia sine Ecclesiæ iudicia, & non Papæ, licentia

entia hæc ei non est permittenda, nec Ecclesia eripi sibi iudicandi potestatem patitur, qua omnia liberè, secundum Scripturam sacram dijudicentur. Et sicut alios errores Papæ omnes, Ecclesia, huiusq; Doctores, taxare debent: Ita etiam ipsum Papam defugientem, & prohibentem veram & legitimam cognitionem, Ecclesiæq; iudicium, reprehendere.

78. Nec ferenda aut toleranda villo modo tyrannis, quam Romani Episcopi sibi rapuerunt, ut quod Canon habet: Nemo iudicabit primam sedem, iustitiam temperare desiderantem. Neq; enim ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq; à Regibus, neq; à populo Iudex iudicatur. Vbi glossa addit: Argumentum, quod Concilium non potest Papam iudicare, ut extra de Elect. significasti. Vnde si totus Mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur, quod sententiæ Papæ standum esset, ut 24. 9. 1. hæc est fides.

79. Quod si maxime Papa iure diuino haberet Primatum & iurisdictionem istam (cuius contrarium est probatum) tamē obedientia ei non debetur, cum doctrinam, cum sacra Scriptura pugnantem, & cultus Idololatrias defendere velit. Accendite, inquit Christus, à falsis Prophetis. Et Apostolus: Fugite ab Idolorum cultu. Idcirco necesse est, ut ei tanquam Antichristo aduersumur. Et manifesta est crudelitas, quæ exercet in pios. Ideo magnas, manifestas & necessarias habemus causas, ne obediamus Papæ, sed ab ipso discedamus. Exite, clamat vox de cælo, de Babylone (quam Patres interpretantur Romam) & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiat. Quoniam peruenierunt peccata eius usq; ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.

80. DEVS pacis, & Dominus noster Iesus Christus, totius Ecclesiæ caput, conterat Satanam, eiusq; squamas, sub pedibus nostris velociter, Amen.

Vide de hoc argumenti genere, insignem Librum D. Lutheri, cui titulum fecit: Contra Papatum Romanum, à Diabolo fundatum.

FINIS.

9. Quest. 5.

Iul. 1. Epistola contra
Orientalia pro
Athanasio.

Apo. 18.